

I. N. J. C.

DISSERTATIO ACADEMICA

De  
**ΜΙΣΟΚΟΣΜΙΑ,**

QUAM

Suffrag. Ampl. Facult. Philos. in Illustri Athenæo Aboënsi,  
SUB PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS  
BILMARK

Histor. & Phil. Pract. PROFESSORIS Reg. & Ordin.

Publico examini submittit

JOHANNES PIHL,

Borea-Fenno,

In AUDITORIO MAJORI die XXIX Martii,  
Anno MDCCLXXV.

H. A. M. S.

---

ABOÆ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

Handelsmannen uti Stapeliaden Åbo,

Högackad

# Herr GABRIEL PIHL,

Min Högtårade Käre Farbroder,

KANBALLIS-  
KIRJASTO

**D**in dryga förlust, hvilken jag måst årsara genom en huld Faders för mig nog tidiga frånfälle, har Försynen årfatt genom Min Käre Farbroder, hvilkens många wälgsärningar hasiva gjordt, at jag funnit lika ömhet om min wälfärd uti twåne för mig 'å Kjära Personer.

Er godhet, Min hulde Farbror, för mig är långt större, än at den af mig kan afföldras, än mindre kan jag nu eller läre jag framdeles kunna den affjena. Min tacksamhet och min tilgivvenhet skola dock vara beständiga, fast de dölsas under en wördnadfull tystnad. Uptag dock detta mitt första Academiska arbete, som ock årkänner Min Kjära Farbroders godhet för orsak at det kommit i dagsljuset, sasom et wedermåhle af et takamt sinne. Åtanke of alt detta öker den fullkomliga högackning och wördnad, hvare ned under hjerteliga succars upfändande til den Högsta för Min Kjära Farbroders sjelfenskelsa fällhet jag stådse framhärdar

Min Högtårade Kjära Farbroders

Hdmjuke tjenare,  
JOHAN PIHL.



S. I.

**Q**tot capita, tot sensus, et suum cuique pulchrum obvenit, adeo ut homines quanvis earundem animæ facultatum et corporis organorum participes, quoad propensiones tamen sint völde dissimiles. Vallet hoc, ceu docet experientia, cum in aliis rebus, tum in vestitu ac vitæ ornatu. Dantur enim nonnulli, qui quasi nihil præstantius corpore a summo Numine accepissent, de cultu suo ac de vestium nitela, curis omnibus aliis posthabitis, tolliciti tantummodo sunt, atque in florenti ætate non nisi inter speculum ac pectinem versari gestiunt. Meritum omne, gloriam, quin et scientiam in vestiendi modo repositam existimantes, communiproverbio: ut quisque vestitus, ita idem est honoratus, seu ut Svethice dicitur: *Som man är klädd så är man händ, vesaniæ suæ fucum utcunque querunt.* Contra ea ridet horum recordiam alias, qui se meliora sapere credit; sed incidit in Scyllam, dum cupid Charybdi evitare, et in alterum extremum prolabitur. Severiori mentis lance res humanas hic expendere videtur, animæque suæ facultatum culturæ totus intentus, alteram sui partem essentiale,

cialem, corpus videlicet, plane negligit; in sui partim excusationem partim defensionem adferens dictum gravissimi CATONIS Censorii: *in magna corporis cura magnam apparere animae incuriam.* Philosophos non curare ornatum hi putant, et formam neglectam virum decere contendunt. Attritam igitur vestem tamdiu retinent hi cultus osores, quandiu vel ossibus hæreat. Id quod non solum valet de vestitu, sed si domum, mensam aut supellecilem consideremus, ubique nauseæ et aversationis argumenta invenire licet multa, adeo ut etjam extra ordinem in ipso vivant ordine, et aliquid, ut ipsis videtur, elegantis semper adferant; sed quo risum et contemtum aliorum sibi conciliant. Ex dictis igitur facile colligitur, quid per *Micromesias*, de cuius moralitate hisce pagellis nonnulla disserere constituimus, intellectum velimus, scilicet aversationem cultus et decori in victu et amictu.

## §. II.

Si in originem *Micromesias* inquiramus, eandem ex diversis caussis, vel potius ex variis vitiis cardinalibus, in quæ homies propendere solent, oriri deprehendimus. Qui igitur superbiæ cæstro sunt fascinati, nihil magis anquirunt, quam ut a cæteris in victu et amictu distinguantur. Quamobrem dum vident alios inferioris fortis viros vel holosericis uti vestimentis, vel in fimbriis latissimis, auro et argento intextis vel etjam in novis continuo vestium formis antea non visis delectationem capere, ut hos vicissim confundant, simplicem et nonnunquam a Majoribus suis usitatum habitum adsumunt, juxta tamen pedisequis suis injungunt pretiosis incedere vestibus, in quas magnos impendunt sumptus. In eundem ferme modum, quo veteres Lacedæmonii, uti refert CLEMENS ALEXANDRINUS, parabili amictu contenti solis permitterent

terent meretricibus, floridas vestes et aureum mundum gestare; qualia curare infra Spartanam dignitatem longe positum fuit. Propter eandem rationem fit, ut multi processus dum vident oppidanos et artifices sellis curulibus ac curribus triumphalibus per plateas, ut fercularum pompas, deferrri, pedibus incedant, quamvis volitante pulvere inundentur. Insigne admodum *μισοκοστίας* ex superbia profectæ exemplum nobis præbet DIOGENES Cynicus, quo an quisquam fuerit arrogantior, multi dubitant. Quum enim inaudivisset, ALEXANDRUM, Regem Macedonum, ut Principem suæ ætatis Heroum citari, ipsum animi arrogancia, quum factorum magnitudine non posset, æquare fategit. Alexander, devictis pluribus gentibus, in numerum Deorum referri voluit; Diogenes se supra humanam sortem esse positum ostensurus, opes, honores, res quasvis, quibus homines præcipuum communiter statuunt pretium, quin et ipsum Alexandrum præ se contempsit. Idem lacera et immunda utebatur ueste, nec ædes, sed dolium, quod per plateas Athenarum, secum volutabat, inhabebat, adeo ut inter hunc arrogantem nimis decori ac commoditatis osorem et sordidum e grege porcum nihil fere extrinsecus discriminis præter formam intercesserit.

## §. III.

Præcipua autem *μισοκοστίας* mater merito habetur avaritia. Sicut enim avarus ex sua natura est admodum tenax, nec acquisita, sed acquirenda sollicitus computat; ita quicquid in suam commoditatem aut cultum nonnunquam impendit, hoc sibi temere ademtum ingemiscit. Sordidis igitur atque obsoletis uestibus incedere non dubitat, ut ita necessariis quoque impensis parcat: genium etiam suum sæpe defraudat, nec instructa mensa gaudet, sed tenui et parabili victu in angulo cubiculi fruatur.

In ædes quoque suas, quantumvis vetustate fatiscentes, reficiendas nihil impendit. Pecunias enim omnia esse putat, et quicquid illarum summam non auget, hoc sibi illicitum sese arbitratur. Sicut avaritia vitium Principibus cum infima plebe nonnunquam solet esse communne; ita idem pedissequam habet *μισθοστυίαν*, quæ non minus in atriis Procerum, quam in fumosis rusticorum mapaliis esse subinde prodit. In quem, quæso, squalorem non destrusit avaritia Principem Tyriorum, Pygmalionem, qui ut opes corraderet, non solum civibus suis sed etiam sanguine sibi proximis infidias struxit, eosque e medio sustulit, sed qui inter ingentes auri et argenti congestos thesauros squalidam omnino vitam et qua vi-ctum et qua amictum degit. Nec propter avaritiam, cui totus erat devoutus, splendidior aut commodior fuit Galliæ Regis LUDOVICI XI conditio, ut aliorum exempla nunc reticeamus. Horum similes vel centies exhortant, statum integritatis redditum, non ut vitæ innocentia sese oblectarent, sed ne vestibus ullis opus haberent. Alii sibi appreciantur vestimenta Israëlitarum, quæ post continuum quadraginta annorum usum ne quidquam mutata fuerunt; nam avarus eam eligit sententiam, quæ avari-*tae* suæ imprimis favere videtur. Inepta vero sunt talium sordide avarorum excusationes, quod mundum abnegaverint, nec illi similes fieri velint. Vestes enim non reddunt hominem similem mundo vel impiis; ex virtutibus enim aut vitiis, non ex vestimentis, æstimator homo in foro poli.

## §. IV.

Multorum etiam *μισθοστυία* ex incuria atque negligencia provenit. Nemo fere est, qui ignorat, quantum tam in bonam, quam in malam partem valeat conservatio

tudo, quæ quasi alteram naturam constituit. Si igitur quis inde a teneris ex suo vixerit arbitrari, idemque minus adfvescat, vestes et alia ad se pertinentia caute tractare, hæc deinceps prorsus negliget, nec curabit sive in menia sive in pavimento supellectilem suam deponat. Quamobrem non raro videre licet quosdam, præsertim quibus opes indulxit fortuna, sese totos vestitos in lectum conjicere, indeque assurgere plumis ac pulvere horridos, contortis vestimentorum plicis. Horum etiam mensas si adspiciamus, eximiam in eisdem confusione animadvertisimus, ita ut perturbata videantur omnia, nec vel in supellectili vel in reliqua domo ulla uspiam ordinis aut cultus indicia compareant. Quod si his objiciatur hoc vitæ genus decoro nequaquam convenire, mox regerunt, quod gravioribus continuo sint occupati negotiis, quam ut rationem desideratarum minutiarum habere queant, absconumque putant, ut tales Prætores minima curarent. Perplacet ipsis hæc vivendi consuetudo, nec, uti jactitant, ita sese gerendo, cuiquam nocent: si vestem incuria perdant, aliam numerata pecunia sibi comparare poslunt. Sed quam frivola, immo homine indigna sit ejusmodi excusatio, quisque, vel me non monente, intelligit.

## §. V.

Eruditis *uiatoris*, ut vitium quoddam, multis eorum familiare, objicere solent nonnulli; sed qui præpostere nimis ex singulari ad universale, immo contra ipsam rei naturam, argumentantur. Quum enim eruditio perpoliat intellectum nostrum, ut bonum a malo et verum a falso discernamus, faciatque, ut voluntas et adfectus nostri decretis exultæ rationis pareant, necessarium omnino est, ut vere eruditus ad justitiae, honestatis ac decori præcepta

præcepta sese componat. Quod si igitur aliter subinde  
 contigerit, ut Eruditi quidam vel per socordiam vel ad  
 opinionem vulgi, neminem eximie doctum existimantis,  
 nisi sordidis utatur vestibus et qui in conve riatione cum aliis  
 ridicule et tantum non perturbate sese gerat, sese componant,  
 vitium hoc erit non disciplinarum, sed hominum. Sed per-  
 versa ejusmodi opinio nostra ætate merito fuit rejecta, faci-  
 lesque proinde nobis persuademus, quod cultum ingenium  
 ac cultum vitæ genus non sint plane *accidens*, sed in una ea-  
 demque persona reperiri et posse et debere. Interim tamen  
 docet Historia Litteraria, quod Eruditi nonnulli, etiam quā  
 superioris habentur subsellii, in *ueracopias* vitium fue-  
 rint admodum propensi. Sic de ARCHIMEDE legimus,  
 quod ad mandatum Regis HIERONIS computaverit,  
 quantum argenti aurifaber coronæ, ex solido auro con-  
 ficiendæ, immiscuerit, et postquam modum solvendi hoc  
 problema in balneo invenisset, adeo latus fuerit, ut nu-  
 dus in plateas procurrerit, et domum petens in via vo-  
 ciferaverit: inveni, Inveni. De FRENZELIO, Poëta Cæ-  
 sareo Laureato legimus, quod, quoties epigramma com-  
 ponere voluit aut debuit, in terram sese conjecterit, cor-  
 pus per varia loca circumvolvens. Quod si quis no-  
 stra ætate vidisset Poëtam hunc vel in pulvere sese vol-  
 ventem, vel ex humo totum pulvereum ad surgenterū,  
 vix crederet sui compotem fuisse, vel saltem cogitaret,  
 hujus meditationes futuras esse humiles ac pulvereas.  
 FRANCISCUS PETRARCHA corio induitus fuit, sibi-  
 que vane perswasit, quod sub isto habitu majores ac facilio-  
 res in litteris faceret progressus, quam sub quocunque  
 alio. Idem neque in lecto hac tunica carere potuit, sed  
 quando etiam nocturno tempore momentosi quid ipsi  
 inter meditandum occurseret, id statim in coriacea hac-  
 ce veste annotavit. Sed ne dementiam suam sordidam  
 omnibus proderet, atque ita in aliorum risum atque  
 contem-

contemptum incideret, pallio interiore hanc tunicam texit, post mortem igitur ejus tunica fuit demum detecta, litteris ubique plena. Ulterius sicut communi fertur proverbio: Quod cantores amant humores, ita multi haud ita pridem crediderunt, quod nemo vel mediocris foret Poëta, nisi spiritu vel vini vel aliorum liquorum imaginationem suam reddidisset vividiorem. Enimvero compositiones sunt Circæa pocula, quæ non solum Ulyssis socios, sed alios omnes, qui gulæ indulgent, in homines sordidos transformant, nec ingenium tam acuunt, quam potius obtundunt. Attamen in hoc gurgite quidam hæserunt Eruditi. Sic BERONICUS BATAVUS, qui versus Latinos citius recitando componere poterat, quam alii eosdem calamo excipere, quoties licuit, semper pergræcatus est. Tandem vino somnoque gravatus in aquam se ipsum volutavit, et mortem cum vita commutavit. Periit sic madidus, qui semper madefieri vivus voluit. Quam certum est, ingenium et quidem fervidum, ut ita dicam, in Poëta requiri, tam certum est, quod idem sensim hebescat in illo, *qui pro mille aliis Archipoëta bibit.* Taceo nunc helluones librorum, aliasque qui ita profundis immerguntur meditationibus, ut seipso obliviscantur, caput parieti allidant, et externa omnia negligant. Pauci omnino sunt hi nostra ætate et monstris similes, qui inter vere Eruditos referri non merentur.

## §. VI.

Quod ad moralitatem *μητροσμίας* attinet, nuspian in verbo Dei revelato reperimus, quod Deus eandem præceperit. Postquam homines sua et diaboli culpa felicissimo integratatis statu excidissent, atque nuditatem et inopiam suam sentire coepissent, Deus ipse vestes illis dedit. Quales illæ fuerint, non nostrum est definire, consuleat

fulat harum rerum curiosus eos, qui de Tunica Adami pellicea graves consignarunt dissertationes; sine metu tamen erroris contendimus, quod Deus, Spiritus purissimus, protoplastis mundas concesserit vestes. Porro sicut Deus populo Istrælitico, quem in peculium elegit, munditiem tam in vietu, quam in amictu præcepit, sacerdotibusque imprimis splendida concessit vestimenta; ita colligere licet, quod Ipse munditiem ac decus, per se spectatum, non improbet. Sed regerat forte quispiam, quod in Sacris Litteris jubeamus non curare res mundanas, nec ea, quæ sunt in mundo. Sed isthuc præcepto tantum intendit Deus, ne in cultu vestium et rerum mundanarum curas nostras ita ponamus, ut hæ nos avocent ab amore Dei aut ut per vestium elegantiam nos ad superbiæ abduci patiamur, sed tantum ipsis tribuamus, quantum decens vitæ ratio concedat. Præterea dum in Sacro Codice præcepta in unam aut alteram partem defunt; tutissime sequimur exempla Virorum inculpatæ omnino vitæ. Quum itaque tam Salvator noster sanctissimus vestes tunc usitatas et munditiem adhibuerit, idemque de Evangelistis Apostolisque, de quorum habitu egregiam dissertationem conscripsit HEINECCIUS, constet, tuò colligimus, μουκοσμια, a Deo præceptam non esse.

## §. VII.

Qui pili non sunt, volunt tamen tales videri, aliosque de pietatis studio convincere, omnibus viribus conantur. *Μουκοσμια* igitur excusant pietatis prætextu, ornatum omnem vituperantes ac damnantes, ut humilitatis obtineant laudem. Alios quoque ad eandem virtutem exhortantur, et ut eo majorem inveniant fidem, singularem eligunt habitum. Enimvero nihil omnino obstat, quominus quis pura ueste indutus purum cor ad Deum

Deum elevare et sic Ipsum sincere colere possit, æque ac is, qui sordido se voluntat pallio. Sordidatus habetur quidem moesti et contriti animi signum, attamen sepe fallit externa species; quare Salvator noster, cordium scrutator, damnavit sordidatum Pharisaorum. Fuerunt quidem Prophetæ nonnulli et Johannes Baptista in cultis vestibus induuti, sed nescio tan in omnibus extraordinarios hos homines imitari debeamus, qui quoties centuram vestium instituerunt, non earum munditiam, sed luxum taxarunt.

## §. VIII.

Præterea observo, quod *μικροσμία* in' Lege Naturali nullum habeat fundamentum. Quum enim ex præcepto Juris Naturalis obligati simus ad culturam corporis nostri agendam, adeo ut idem sanum & vegetum maneat, sanitas autem corporis nequeat in immundicie aut perturbata vita ratione conservari, siquidem noxiæ exhalationes, quæ *μικροσμίας* comitantur, nec non inordinatus vixtus et amictus sanitatem valde infestent, quemadmodum multiplex experientia testatur, Ergo *μικροσμία* erit fugienda. Adde, quod isthoc vitium faciat, ut intolerabilis ferme evadat talium societas, ut alia reticeamus, *μικροσμίας* incommoda.

## §. IX.

Sunt nonnulli adeo perversæ indolis, ut existiment, *μικροσμία* esse supremum quendam libertatis gradum. Sermones aliorum curare nolunt, ideoque irritantur, si quis objiciat: Quid dicent alii de vestra immundicie? Irati respondebunt: Dicant, quicquid velint, a nemine dependemus: Libertatem postulamus, et hanc summo jure nobis vindicamus. Vestitus est res indifferens, et cuivis licebit, pro arbitrio corpus

corpus tegere. Sic Thomas MORUS, Cancellarius Angliae notissimus, cultum omnem corporis neglexit, et vestibus vilioribus induitus incessit, in eoque libertatem posuit. Sed vera libertas in eo consistit, ut actiones nostræ legibus convenient, non repugnant, sed *μοναρχία* repugnat Legi Naturali, Ergo in hoc vitio nulla consistit libertas. Ipse Morus elegantiorem elegit vestitum, quoties aulam frequentare debuit, quod tamen raro contigit, et ipso Moro invito.

## §. X.

Observo denique, quod senior Ethica nec probet cultum vestium nec *μοναρχίαν*: medio tutissimi ibimus. Quantumcunque enim differant vestitus, in eo tamen conveniunt, quod argumenta sint infirmitatis atque vanitatis humanae. Vestiendum quidem est corpus, ut conservetur, sed potius cum quodam dolore, quam illa lascivia et superbia, quam novo vestimento induiti plerumque ostendunt. Quicunque enim luxu vestium plus æquo sibi placet, aperte profitetur, quam parum in sui cognitione profecerit. Nam si probe perpenderet, corpus suum revera nihil aliud esse, quam sordium sentinam, vermium escam, spolium temporis, ludibrium fortunæ, morborum sedem et calamitatis tabulam, de eo tantopere ornando et comendo non foret sollicitus. Homines enim quid sumus? Et quamdiu æquor hoc vitæ navigamus, quid nisi fluctus et procellæ, et si interdum aliquod serenum blanditur, dicitur, et fere major tempestas succedit. Anima nobis præ aliis curæ sit: de illa ornanda serio cogitemus. Et vere a nobis ornabitur, si sanctitati, morum innocentiae, probitati, modestiae et veræ famæ sedulam navenimus operam: si non tam hominibus, quam Deo placere studeamus.

S. D. G.

